



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III. Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Instrvctio Eorum, qui libris prohibendis, tun expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem, ac fidelem (vt par est) operam sunt daturi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

proinde vterque damnatus, & prohibitus censendus est.

## INSTRUCTIO

Eorum, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem, ac fidelem (vt par est) operam sunt daturi.

**A**D Fidei Catholicæ conseruationem, non satis est, quinam ex iam editis Libris damnatæ lectionis sint, cognoscere (quod Indice, & Regulis confectis, per Patres à generali Tridentina Synodo delectos, præcipuè sancitum est) nisi illud etiam caueatur, ne vel iidem denuò pullulent libri, vel similes alij emergant, & propagentur, qui incautas fidelium mentes occulto veneno inficientes, iusta, ac merita damnatione digni iudicentur.

Vt igitur, quicumque posthac seu veteres, seu noui libri edentur, quàm maximè puri, & tam in ijs quæ ad fidem, quam quæ ad mores pertinent incontaminati existant; quid circa malorum librorum interdictionem, ad eos penitus abolendos, tam ab Episcopis, & Inquisitoribus, quàm à cæteris, quorum ad id in Ecclesia Dei studium valere, & auctoritas potest, (præter ea quæ Tridentino-

Y

rum

rum Patrum Regulis supradictis, decreta sunt) publica utilitas exigat, capitibus infrapostis, diligentius sancitur, ijsdemq; statuitur, que omninò in posterum, tum ab ijsdem Episcopis, & Inquisitoribus, alijsq; ut presertim, in maiorum Librorum interdictione, & abolitione, tum à Correctoribus in Librorum, ac ceterorum quorumcunque scriptorum correctione, atque emendatione, tum à Typographis, in ipsorum librorum impressione, (pena pro arbitrio Episcopi & Inquisitoris aduersus eorundem Typographos constituta) inuiolatè sunt obseruanda.

## DE PROHIBITIONE LIBRORVM.

§. i.

**C**urent Episcopi, & Inquisitores, statim atq; hic index fuerit publicatus, eorum iurisdictioni subiecti ad ipsos descripta sigillatim deferant nomina librorum omnium, & singulorù, quos apud se in eodè indice prohibitos, quisq; reperiet.

Ad huiusmodi verò libros sic significandos, intra eorù tempus ab Episcopo, vel Inquisitore prescribendum, omnes cuiuscunque gradus, & cõditionis extiterint, sub quib; pena eorù arbitratu infligenda teneantur.

Roma verò hæc omnia certo à se, propriis edictis, prescribendo tempore, præstari curabit Sacri Palatii Magister.

§. ij.

Si qui erũt, qui librum vnum, aut plures  
ex pro-